

Vc  
3108









h. 28, i. a

I, 2

Vc  
3108

AD ILLVSTRISSIMVM  
ET POTENTISSIMVM PRIN-  
CIPEM AC DOMINVM,

Dominum

CHRISTIA-  
NVNVM SECVNDVM,  
SACRI ROMANI IMPERII  
Archimareschallum; Electorem & Du-  
cem Saxonix, Landgravium Thuringix,  
& Marchionem Misnix, &c.

DE FELICI EXCELLENTIA  
*Electoralis ac gubernationis prouinciarum  
subiectarum susceptione*

GRATVLATIO:

Humillima subiectione conscripta

A

Iacobo Schultes V. I. D.

•••(✱)•••

LIPSIÆ.

ANNO CHRISTI M. DCI.

No 111  
4 2/2







HERZOG V. SACHS



AN VND CHERVSTEN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA



ILLVSTRISSIMO AC PO-  
tentissimo Principi ac Domino,  
DOMINO  
CHRISTIANO  
SECUNDO,

Sacri Romani Imperij Archimareschallo,  
Electori & duci Saxoniae, Thuringiorum Land-  
grauio, ac Misenorum Marchioni, Domino  
meo Clementissimo.

**D**OSTE A QVAM, AD  
usurpandam Electoralem au-  
toritatem, & moderandas  
prouincias subiectas, Celsitudo  
tua legitimis annorum spacijs  
prouecta est, gaudent merito  
subditi omnes isto Celsitudinis tuae tam excellenti  
bono, felicitatiq; suae congratulantur, quod a  
Deo Immortali Celsitudinis tuae imperio sunt  
reseruati.

Ea re motus ego, cum publica ceterorum,  
latitiâ meam quoque putavi oportere coniungi,

A 2

eoq;



eoq; nomine orationem istam ad Celsitudinem  
tuam humillimâ subiectione perscripsi.

Quoniam autem ea ferè gaudentis animi  
conditio est, ut continere se angusto illo pectoris  
ambitu nequeat, sed undiquaq; erumpat, hocq;  
magis perfectam se esse letitia credat, quò plu-  
reis inueniat socios; publicani orationem illam,  
ut etiam per me, quoad ego possim, exteris  
transmittatur communis hæc erga Celsitudinem  
tuam suscepta gratulatio: nullaq; prætermitta-  
tur occasio, quin debitus noster erga Principem  
clementissimum amor atq; submissio orbi chri-  
stiano ostendatur.

Eam, Celsitudini tuæ, orationem, non ele-  
gantem illam quidem, atq; quod summa Celsi-  
tudinis tuæ dignitas poscebat, ornatam, sed ta-  
men fideli summissoq; animo conscriptam offero,  
oroq; suppliciter, ut benignè eandem suscipiat,  
quasi quoddam officij ac subiectionis debita mo-  
nimentum.

Cels. Tuæ

subiectissimus seruator

Iacob Schultes V. I. D.

ILLV.



Illustrissime ac potentissime  
Princeps CHRISTIANE SECVN-  
DE, S. Rom. Imperij Archimareschal-  
le, Elector & Dux Saxoniae, Turingiorum  
Landgraue, ac Misenorum Marchio, Do-  
mine clementissime;



QVOD precati à DEO im-  
mortali sumus, omni eo  
tempore, quod ab obitu  
PATRIS tui beatissimi ha-  
ctenus intercessit: vt, ad e-  
lectoratum cæterarumq; prouinciarum  
gubernationem subeundam, vitæ tuæ spa-  
cia clementer prorogaret: Id Celsitudini  
tuæ summo IMPERATORIÆ Maiesta-  
tis ac reliquorum Imperij ordinum assensu,  
omniumque subditorum fidelissimo-  
rum applausu, dies hodiernus attulit.

Ergò si tum huiusce beatissimi PA-  
RENTIS tui CHRISTIANI PRIMI  
præmaturus obitus luctuosissimus fuit,

A 3

atque



atque acerbissimus non subiectis tantum,  
sed, vt accepimus, Romano Imperio vni-  
uerso, adeò vt nobilissimus quidam Ger-  
maniæ Princeps calamitates, quæ præstan-  
tissimi eius herois obitum essent consecu-  
tura, ita magnas esse, auguratus sit, vt eas  
vix cuiusquam mens aut cogitatio capere  
posset:

Quanta nunc excipere læticiã debe-  
mus CHRISTIANVM ALTERVM,  
quem IEHOVA Opt. Max. successorem  
electorali dignitati conseruauit: PATER  
moriens reliquit: subditi iampridem o-  
mnes exoptarunt, precibusq; ardentissimis  
ab immortalis DEO efflagitarunt?

Grauiissimum quidem mors CHRIS-  
TIANI PRIMIMœrorẽ attulit vxori Il-  
lustrissimæ, cui pars maxima abrepta vitæ  
est; Celsitudini tuæ ac fratribus sororibus-  
que generosissimis, quibus auctor vitæ ac  
defensor ætatis tenere occidit: subiectis o-  
mnibus, quibus Princeps fortissimus ac

sapien-



sapientissimus clementer imperarat. non

Sed hoc tempore, quo ALTER in illius locum CHRISTIANVS assurgit, eò maiore efferimur gaudio, quò est illustrior dies suscepti honoris, quàm amissi.

Quanquam enim, cum insigni aliquà aduersitate afficimur, celari nequeat animi dolor, aut occultari: Tamen si quæ grata nobis iucundaq; eueniant, nescio quomodo apertior ferè lætitia est, magisq; perspicua; Ita, semper maior est, aut certè apparentior, secundis rebus acceptis delectatio, quàm aduersis perturbatio.

Nam cum magna aliqua aut inopinata calamitas accepta est, opprimit mœror, obruitq; animi penè sensum omnem, viresq;, adeò vt vix ducere vitam & spiritum valeamus: At hilaritate circumfusa mens omni ex parte sese prodit atq; exserit.

Quamobrem non vt summam molestiam nec explicari verbis, nec fingi picturis posse, Poëtæ crediderunt: sic gaudia

non



non exprimi oratione aut gestu posse, existimandum est.

Quæ quanquam ita sunt: sentio tamen, tantam in me non esse cogitandi facultatem, aut dicendi vim atq; copiam, vt comprehendere animo, aut enunciare verbis queam summum illud gaudium, atq; lætitiã incredibilem, quam electoralibus ceterisq; prouincijs subiectis, vniuersæq; Germaniæ tertia hæc lux & vicesima septembris peperit.

Ac prima quidem accepti doloris allevatio fuisse mihi videtur, iam tum in spe posita Illustrissimæ Celsitudinis tuæ: quòd quamquam clementissima Immortalis DEI voluntas PATREM CHRISTIANVM ex hac vitã migrare iussisset; ALTERVM tamen nobis CHRISTIANVM FILIUM in terris reliquerit, cuius vt ætas adhuc tenera annis singulis atq; vnoquoque die ad maturitatem suscipiendi imperij propius accessit: sic vulnus illud, quod

ex tri-



ex tristissimo PATRIS obitu accepimus  
omnes, quotidie coaluit magis, atq; nunc  
in ipsius FILIO Celsitudine tuâ spem o-  
mnem firmioris sanitatis defixit.

Nam vt sole oriente lucem, vires, ro-  
bur, succum, & spiritum ipsum conse-  
quuntur res, quæ in orbe sunt: Sic, Illu-  
strissima Celsitudine tua in folium P A-  
TRIS beatissimi conscendente animam  
vitamq; recuperare, & quasi ad adspicien-  
dam lucem reuocari videmur:

Quod si relligione DEI immortalis  
feliceis: iustitiâ firmas: pace florenteis effi-  
ci respublicas putamus: ecquod tantum  
officium, tantumq; studium? quis tantus  
plausus? tanta lætitia? tanta exultatio?  
qua excipere atque amplexari hunc di-  
em possumus? qui Illustrissimam Celsitu-  
dinem tuam nobis Principem veri erga  
DEVM cultus auctorem legum patria-  
rum defenforem: pacis, ocij, tranquillita-  
tisq; propugnatores: patriâ auitaq; virtu-

B

te o-



te omni ex parte præstantem ad summa rerum gubernacula collocavit; atque hæc, quæ singula dona DEI immortalis summa sunt, nunc in TE VNO, nobis exhibet vniuersa?

Si, potentissime cœlitum princeps atque rerum omnium humanarum pater ac dispensator benignissime, pro tuis hisce immortalibus in nos, hasq; prouincias, meritis, parùm tibi cumulatè gratias egero, quæso ne voluntati potius meæ, quàm magnitudini tuorum beneficiorum id tribuendum putes.

Quæ enim tanta potest existere vbertas ingenij? tanta dicēdi copia? quod tam diuinum atq; incredibile genus orationis, quo quisquam possit tua, hoc PRINCIPLE nobis dato, in nos vniuersos promerita, non dicam complecti orando, sed percensere numerando: qui IMPERATORIÆ Maiestati ELECTOREM fidelissimum; Ecclesiæ patronum ac tutorem vigilantif-

simum



simum; prouincijs subiectis principem æ-  
quissimum; ciuibus patrem charissimum:  
exteris nationibus socium fortissimum;  
Germaniæ denique totiq; Imperio Roma-  
no membrum; Seu, vt de ALBERTO  
atauo in annalibus relatum est, dexteram  
validissimam hoc concessit CHRISTIA-  
NO principi constituisti?

Nam mihi quidem CHRISTVS ipse  
de tuâ, Ô CHRISTIANE, Celsitudine  
spem nobis quasi præscripsisse videtur, quod  
cum PATER CHRISTIANVS primus,  
AVVSq; AVGVSTVS cæteri que longo  
ordine maiores tui semper diuinis hisce  
virtutibus summâ præter cæteros dignita-  
te atque auctoritate floruerint: earum o-  
mnium gratulationem ad diuinum atque  
felicissimum hoc tuum CHRISTIANI  
SECUNDI nomen reuocauit.

Nihil quidem immortalis DEO grati-  
us esse potest acceptiusue, quàm rectus er-  
ga eum sensus, cultusque sacrarum litera-



rum monumentis consentaneus : neque  
vlla res est, quæ salutem rerum publicarum  
vehementius contineat, augeatq; magis,  
quàm incorrupta fides atque intemerata  
relligio. hæc magistratus pariter subie-  
ctosque charos DEO reddit; hæc dignita-  
tem principis tuetur; populi obedientiam  
alitur; hæc mœnia firmat, defenditque ad-  
uersus hostes; domos fortunasque nostras  
ab improborum iniurijs tutas reddit; opes  
auget singulis; dat prosperitatem vniuer-  
sis; ac quocunque curam, cogitationem,  
solicitudinem, vigilias, operas, labores re-  
feramus, fortunatos rerum exitus euen-  
tusque secundos impertit.

Quod cum in omni tempore, maxi-  
meque superioribus annis intellectum ef-  
fet, diuus MAVRICIVS Magnus Celsi-  
tudinis tuæ patruus summo studio, veræ  
de DEO doctrinæ apud subiectos consti-  
tuendæ confirmandæque curam suscepit:  
cui non minori desiderio, ardore forsitan

etiam



etiam maiore, AVVS AVGVSTVS successit, eiusque rei, vt aliarum complurium præclarè gestarum, gloriam omnem ad beatissimum PATREM Celsitudinis tuæ CHRISTIANVM transmisit, qui pietatis erga DEVM, salutisque hominum subiectorum amore nulli cedens, laudem omnium haud dubiè superauisset, nisi in cœlestis Ecclesiæ societatem à summo Ecclesiæ principe, opinione celerius fuisset euocatus.

Horum igitur omnium laudem ad Celsitudinem tuam nunc pertinere ipse quidem intelligis; subiecti omnes delatam agnoscunt, augeri exoptant, atque cum præclaro Celsitudinis tuæ in puram religionem Christianamq; pietatem studio, curam animarum suarum coniunctū iri confidunt.

Nec enim fieri putant posse, vt, qui & exemplis maiorum, & propriâ pietate integerrimè DEVM colat venereturq;, non





etiam pietatis suæ socios esse velit eos, qui Imperio suo summo voluntate pareant.

Videre mihi iam nunc videor Illustrissimam Celsitudinem tuam in sanctissimis illis versari deliberationibus: quemadmodum cultus numinis diuini, quem ab ABO, PATRVO MAGNO, AVO, PARENTE q̄; accepisti illa befactatus retineatur, hæreses extirpentur, omniaque ea, quæ exercendæ pietati repugnent, summoveantur.

Quæ quidem idcirco hæc commemo- ro, quòd in mentem veniat, ex omni memoriâ ætatum, temporum, regnorum, principatum, rerumq̄; publicarum florentissimarum; vel ipsa constituendi Imperij initia ab nouâ sacrarum rerum cultusque diuini institutione sumta: vel collapsæ religionis ac pietatis restorationem in exordio principatus esse susceptam.

Cum plerasque in orbe terrarum gentes imperijs atque gubernationibus certis

distin-



distinguere vellet DEVS Opt. Max. atque  
his reges suos ac moderatores ex homini-  
bus præficere; sibi autem ex omnibus pe-  
culiarem legere populum, cui Princeps  
ipfemet rectorque esset: iamque Abraha-  
mum sacri illius peculij auctorem, paren-  
temque omnium fidelium delegisset, eâ-  
que de causâ ad peregrinandum induxif-  
set, ius ipsi certum legesque constituit, ex  
quibus potissimam numinis diuini ratio-  
nem esse habendam, deberet intelligere.

Deinceps cum eius posteritatem è ser-  
uitute Ægyptiorum liberaturus esset, pri-  
mum quidem conuiuium agni paschalis,  
liberationis diuinæ monimentum, statu-  
it, quò eius quotannis memoria summâ  
festiuitate ac celebritate redintegraretur.  
Post, antequam in terram promissam eos  
deduceret, duarum tabularum leges in  
monte Sina rogauit, quibus omnem cul-  
tus erga se ac pietatis: tum erga fratres ac  
focios hominesque cæteros, officij ratio-

nem



nem complexus est.

**SALOMON** Israëliticorum regum sapientissimus ab ædificatione templi Hierosolimitani imperium suum est exorsus.

**IOSAPHATVS** pacti cum **DEO** immortali foederis sacrosancti memoriam circumcissionē diu intermissam reuocauit.

**ASARIAS** rex is, qui **Vsias** vsurpatur, & **IOSIAS** pascha, temporibus illis penè obsoletum, restaurârunt, magnificentissimeque celebrârunt.

**HISKIAS** superstitiones gentilium deorum venerationes abrogauit, & eius rei gratiâ institutos lucos excidit, atque inter cætera æneum Moisis serpentem, quòd eo, turpi cultu, Israëlitæ abuterentur, contriuit.

Pari ratione plerique Christiani Imperatores, posteaquam ad gubernationem accessissent, studium omne, curam, cogitationemque; manus etiam atque arma nonnunquam ad delendas improbas su-

persti-



perstitutiones, atque à vero DEI cultu dissidentes errores cripiendos contulerunt.

**CONSTANTINVS MAGNVS** sacrum illud & nobilissimum concilium Nicænum, quo de grauiissimis diuinæ religionis articulis deliberatum ac decretum est, conuocauit.

**THEODOSIVS MAGNVS** in vrbe Constantinopolitanâ generalem celeberrimorum, diuinæque legis peritissimorum hominum senatum habuit, quo idem tamen complura fidei Christianæ capita controuersa ex verbo DEI decisa sunt atque explicata.

Non minore pietate **THEODOSIVS IUNIOR**: qui, celeberrimis eâ ætate Theologis Ephesum arcessitis, acerrimas Ecclesiæ, de quibusdam religionis diuinæ institutis, disceptationes horum consilio atq; prudentiâ diremit.

Chalcedonensis quoque concilij, de grauiissimis pietatis Christianæ caussis deli-

C

bera-



berationes, edicto Imperatorum VALE-  
RIANI & MARCIANI, susceptæ summo  
studio sunt, & incredibili totius Ecclesiæ  
fructu atq; emolumento confectæ.

IUSTINIANI autem PRIMI, in tuen-  
do augendoq; immortalis DEI cultu ve-  
ro, quem latet pietas? qui sanè non minùs,  
quàm superiores, tuendæ & ex oraculis  
cœlestibus politius limandæ religioni  
Christianæ dedit operam: Est enim non  
incognitum, quòd in vrbe Constantinianâ  
plurimorum Episcoporum ac sacerdo-  
tum consilium exercuerit, eoq; nonnul-  
las in repub. Christianâ de fide sanctâ ex-  
ortas controuersias summo studio termi-  
nârit.

Denique eâdem in vrbe CONSTAN-  
TINVS TERTIVS de rebus ac rationi-  
bus, ad sacram religionem pertinentibus,  
concilium, quod vocant Oecumenicum  
sextum, habuit.

Ac ne plura aliorum principum cong-

fecter



secter exempla, quæ sunt innumerabilia, nonne Abauus C. T. pientissimus HEINRICVS, cùm hasce prouincias accepisset, etiam beatissimis diui GEORGII, fratris sui, manibus repugnantibus, puram de cultu DEI: saluatoris promeritis: iustitiã hominis: ceterisque christianæ fidei partibus, doctrinam ad maiores nostros summã pietate introduxit? Nonne filius eius, patruus Celsitudinis tuę magnus, verè quidem ille magnus, MAVRICIVS eandem auxit, & huiusce perfruendæ religionis libertatem toti imperio Romano non terrore belli, sed celeritate consilij peperit atque conseruauit?

Quibus quidem factis effecit, vt in omnibus expeditionib. suis fortunã æquissimã vteretur, atq; omnium consiliorum suorum exitus haberet successusque fortunatissimos.

Multùm quidem ei profuit in bellis gerendis eximia prudentia, animique ma-



gnitudo: plurimùm etiam fortassè militum virtus contulit: sed ego, quicquid ab eo prosperè gestum est, pietati eius ac re-ctæ erga **D E V M** menti tribuendum esse, existimo.

Itaque bellicæ eius laudes celebrabuntur illæ quidem, non solùm nostris, sed penè omnium gentium literis atque linguis, neque vlla vnquam ætas de ipsius laudibus conticescet.

Sed tamen, si historiæ reliquam eorum temporum memoriam, cum huius rebus gestis, iustâ (viti par est) scriptione, coniungent, illa ipsa de insigni eius erga **D E V M** pietate recordatio mentem legentis subinde vellicabit, atque ad diuinæ clementiæ moderationem successus eius secundos omnes reuocabit.

Et verò, quemadmodum navis non modò portum, quem petit, non consequi, sed omninò nec cursum felicem aut commodum tenere potest, clauo destituta: sic

respub-



respublica non tantum ad statum floren-  
tem prouehi, sed nec constare quidem diu  
aut gubernari saltem potest, fide erga D E-  
V M immortalem & religione nullâ, aut  
non satis probè firmiterq; constitutâ.

Quod mihi quidem præter cætera vi-  
detur sensisse C O N S T A N T I V S Impe-  
rator, qui hominum suorum, erga se, ac  
republicam, fidem exploraturus, gen-  
tium sese superstitiones vanas amplecti  
velle simulauit, verâ religione abiectâ:  
Cumque intelligeret plerosque optima-  
tum cultus infidelium suscepisse, ne quas  
beneficio eius dignitates obtinerent, dif-  
fensione religionis amitterent: Alios au-  
tem paucos in fide erga D E V M perstare  
maluisse, quam Imperatoris gratiam reti-  
nere: depositâ simulatione istos quidem,  
quod D E I reuerentiâ constantes, obse-  
quium Principis deseruissent, illis, qui do-  
mini mortalis amore, D E V M immorta-  
lem spreuissent, anteposuit: minimè sibi



ab ijs salutaria in rempublicam consilia  
suppeditari posse ratus, qui beatitatis sem-  
piternæ ac rerum omnium dominum at-  
que largitorem I E H O V A M abiecissent,  
hominis causâ, à quo ne quidem huma-  
na omnia, quæ vellent aut optarent, con-  
sequi possent.

Quid ita? nimirum si de D E O non est  
apud animum recta firmaque constituta  
sententia, non potest vlla de republicâ sa-  
lutaris esse cogitatio.

Nullâ enim re magis ad hanc societa-  
tem hominum cœtusque civium tuendos  
vocamur, quàm cum sensum eum, quem  
de D E O tenemus, toto pectore amplecti-  
mur, atq; ex eo omnem vitam actionem-  
que nostram, quasi ex regulâ quâdam, me-  
tiendam esse arbitramur.

Contraque nullâ re magis abducimur  
à communi salute atque republicâ curan-  
dâ, quàm cum D E V M aut penitus non es-  
se putamus; aut non animo toto metui-

mus;



mus; non vitam meliorem credimus; non sempiternos inferorum cruciatus veremur; non præmia virtutis speramus; non poenas scelerum perhorrescimus.

Tùm enim quisque cœcas ac temerarias animi libidines confectatur, atque ab ijs tamquàm perniciosissimis satellitibus, de hoc publico societatis vitæq; communis theatro ad propriæ rei curam libidinemque persequendam deturbatur.

Hâc de causâ I E H O V A Opt. Max. posteaquam populum Israëliticum verâ sibi religionem obstrinxisset, deinceps in plerisque reipublicæ negocijs ferè non nisi interrogato se, ac institutis non repugnante, suscipi aut expediri quicquam passus est, cuius quidem benignissimæ voluntati auctoritatiq; si semper, vt par erat, obsecundassent, tot calamitates perpeffi non fuissent, perpetuâque dignitate ad Messiaë usque aduentum florere potuissent.

Neque



Neque hic religionis fructus atque necessitas gentiles latuit. Nam licet DEVM verum non cognorant, animaduenterunt tamen, nullam stabilem esse aut firmam rempublicam posse, nisi numinis alicuius diuini auctoritate imperium, leges, cunctaque cætera, quibus respublica contineatur, muniuissent, atque sic rem omnem informassent, vt, quicquid agerent præcipereatque, iussu Deorum fieri subiecti existimarent.

Eâ de causâ LYCVRGVS ita leges Lacedæmonijs tulit, vt ratas esse sui ciues putarent, si eas APOLLO approbasset.

NVMA POMPELIVS, alter Romanorum rex, vt, Romuli bellis quodammodo ferocientem populum ad vitam moderatiorem legibus inflecteret, congressus Ægeriæ cuiusdam simulauit.

Sed non proficiscar à Celsitudine tuâ longiùs, neque apud eam de externorum religione disseram, ne principem Christia-

num



num cum gentilibus: fidei veræ amantem  
cum infidelibus ac superstitiosis: rectè  
D E O immortali seruientem, cum genij  
mali turpissimis mancipijs; piū denique  
cum impijs comparare velle videar, quā in  
re, vt nihil inesset criminis, minùs tamen  
decere arbitror, ita laudari te, Princeps Cel-  
sissime, vt nihil ipse neque diuinâ gratiâ,  
neque maiorum exemplis clarissimis; ne-  
que generosissimâ indole ac institutione  
domesticâ didicisse videre, nisi quòd ho-  
mines, D E I notitiâ carentes, ab Celsitudi-  
ne tuâ, & ab hisce sæculis, longo antè inter-  
uallo, cognouissent.

Non est ita: neque hoc patitur eximia  
maiorum tuorum virtus: non rerum ad  
gloriam D E I gestarum magnitudo, non  
ob cultum I E H O V Æ Opt. Max. labores  
suscepti atque perlati. Quibus fanè quic-  
quid erga D E V M reuerentiæ fuit, quicquid  
cultus, relligionis, fidei, pietatis: id nunc  
in Celsitudinem tuam vnâ cum prouincijs

D

dela-



delatum esse intelligis.

Ipsa ergò animi tui Celsitudo, quò vberiorè à maioribus habuit cognoscendæ percipiendæque virtutis campum, cò maiore fructu, annis hisce iuuenilibus, in auitæ patriæque pietatis cognitione atque exercitatione versata est, id opinor secuta, quod Agasicles quondam sapienter respondit; eorum maximè discipulum esse decere se, quorum filius esset.

Est igitur hæc summa atque incredibilis erga DEVM pietas princeps omnium ac regina tuarum virtutum. quid ceteræ, que idemtidem ad moderandam rempub. necessariæ esse putantur? quantæ illæ & quàm multæ sunt? non enim solùm religio in principe viro quærenda est, sed multæ sunt aliæ animi dotes eximiæ huius sociæ comitesque virtutis. Piam enim erga DEVM reuerentiam summa ferè in homines æquitas consequi solet, & subiectorum charitas, ergaque omnes beneficentia, qui-

bus



bus etiam iungitur diligens illa ac circum-  
specta in rebus gerendis cogitatio, atque  
in omni negotio curaque ancipiti ad ex-  
plicandum consilium facilis expeditaque  
prudentia.

Ergo & istis Celsitudinem tuam præ-  
ditam esse virtutibus, agnoscimus gaude-  
musque. Sed sunt illæ quidem hoc illu-  
striores, quò plures sub Celsitudine tuâ  
sumus positi, qui rebus ac possessionibus  
nostris defendendis auctoritate tuâ indi-  
geamus.

Nam cum, post sempiternam illam ac  
beatissimam cœlitum societatem, nihil in  
hisce terris præstabilius sit, nihilque, quod  
summo illi principi D E O, qui omnem  
hunc mundum regit, quod quidem in ter-  
ris fiat, acceptius, quàm concilia cœtusque  
hominum iure consociati, quibus ea,  
quam paullo antè commemoravi, pietas  
cultusque ipsius castè integreque exercea-  
tur ac doceatur, hominesque ipsi mutuis



fese benevolentiae, liberalitatis, iustitiae, honestatis officijs prosequantur, iuuentq; qua ratione possint: Est, vt apud alios omni tempore, ita apud nos, maximè necessarius princeps sapientissimus atq; æquissimus, à quo, velut à capite, omnis earum virtutum actionumq; perficiendarum ducatur ratio.

Auctore quoque magnanimo ac potente opus est, qui aduersus improbos tucatur bonos, sceleratorum audaciam, rapacitatem, vim, iniuriamq; prohibeat, reprimat, supplicioq; vindicet, iure constituendo summos cum infimis, tenuiores cum his, qui opes maiores habeant, æquali iure retineat.

Cùm ergo Celsitudinem tuam **ELECTOREM** nobis **DEVS** immortalis dedit, vnà dedit principem, iustitiã maioribus suis simillimum, æquitate parem, prudentia senem, fortitudine aut æqualem maioribus aut nihilo inferiorem, fortasse etiam

quod



(quod, quoniam summâ cum patriæ salute, & emolumento subiectorum Celsitudinisque tuæ perpetuâ gloriâ coniunctum est, libenter auguror) breui superiorem.

Soleo sæpè ante oculos ponere, idque crebris vsurpare sermonibus, non exstitisse vllum in orbe Christiano genus hominum præstantius, nec vllam gentem illustrem virtutis, iustitiæ, fortitudinis, summarum dignitatum ac rerum, domi forisque præclare gestarum, gloriâ nobiliorem, quàm est hæc, tua antiquissima ducum Saxoniorum familia.

Ex ea enim complures bellicosissimi Imperatores, felicissimi bellatores, æquissimi legumlatores, moderatissimi subiectorum gubernatores profecti sunt, quibus quidem virtutibus, alijs laudibus innumerabilibus, quæ potest par oratio inueniri? quid est, quod quisquam aut dignum principe, aut Celsitudini tuæ nouum, aut cuiquam inauditum possit afferre?

D 3 quod



quod in R V T A nobilissimâ non iterum  
ac sæpius longo ante alios interuallo efflo-  
ruerit.

Testis huius rei est O T H O , magnus il-  
le Saxonix dux, qui & oblatam Imperij di-  
gnitatem incredibili animi magnitudine  
repudiauit, & tantâ inter omnes prudentiâ  
clarus fuit, vt ijs temporibus nemo quic-  
quam agendum susciperet, nisi ipso con-  
sulto : tanta eiusdem in Imperio exstitit  
auctoritas, vt, quod ipse sensisset, omnes  
continuò amplectendum sibi, & omninò  
sequendum esse arbitrarentur.

Testis est H E I N R I C V S Auceps huius-  
ce filius, qui ad summam Romani Impe-  
rij dignitatem sublatus, varia ac dissimili-  
ma bella fortissimè gessit, atque exitu feli-  
cissimo terminauit.

Vngarorum enim immensos exerci-  
tus pænè totos ita deleuit, vt quas occupâ-  
rant atq; oppresserant, nobilissimas Impe-  
rij prouincias, eorum ipsorum sanguine  
redundârint.

Cum



319  
Cum Slauis, Boëmis, Danis, Obetritis,  
Thalemintijs, pugnis acerrimis confligit,  
eorumq; quosdam sibi subiecit, nonnul-  
los, ne possi vniquam in Imperium Roma-  
num: plerosq;, ne in se amplius quicquam  
mouere possent, profligauit. omnes per-  
petuâ Martis felicitate superauit. quam il-  
le quidem ob rem summâ omnium vo-  
luntate PATRIÆ PATER salutatus est.

Testis huius filius & Maiestatis succes-  
sor OTHO PRIMVS, qui ob rerum ge-  
starum magnitudinem MAGNVS dictus  
est, is Vngaros denuò latè per Imperium  
prædantes, multitudine innumerabileis,  
omnicopiarum genere abundanteis, aspe-  
ctuque adeò horribileis, vt nî cœlum eos  
obrueret, aut terra absorberet, vinci non  
posse crederentur, ne pari quidem militum  
numero, fortitudine tamen forsitan ma-  
iore, DEI certè immortalis insigni auxi-  
lio deleuit. Quæ quidem victoria, quam-  
quam fatis magnam ipsi laudem decusque

pepe-



pepererit, tamen & opprimendis in Imperio perduellibus nonnullis; & subleuando **LYDOVICO** Galliarum rege; bello etiam aduersus **BERENGARIUM** in Italiâ; & Slauos, Maurosq; gentes immanitate barbaras ac ferocissimas, cognita eius spectataque virtus est. Quibus ille tantis, tamque præstantibus ac diuinis in orbem christianum promeritis id consecutus est, vt humani generis delitiæ appelletur, & inter Imperatores tres, qui Magni cognomen rebus gestis adepti sunt, Ecclesiæq; summi propugnatores habiti, tertius connumeretur.

Testis **OTHO SECUNDVS** Imperator Magni istius, quem modò dixi, filius, qui aduersus Danos, Saracenosq; fortissimè pugnavit.

Testis huiusce natus **OTHO TERTIVS** idem talem Imperator bellicosissimus, qui Boëmos, vt supplices sibi fierent, adegit: Slauos iterum pænè omnes dele-

uit,



uit, aut ita domuit, vt vires postea ad bellum resuscitandum non recuperarint. Lotharingiam à Gallis liberauit, Imperioque conseruauit. Crescentium tyrannidi inhiantem oppressit: estq; propter summam ac perfectissimam in omni vitâ actioneq; sapientiam & virtutem **ORBIS MIRACVLVM** cognominatus.

Testis **H E I N R I C V S S E C V N D V S** Imperator, qui Saxoniam magnis infestam Polonorum copijs virtute suâ liberauit: victum in Flandriâ Balduinum vnâ cum prouinciâ Imperio suo fideiq; subiecit: Hardeuigum in Italiâ compescuit: Lotharingiam bello subegit: Hermanum Sueuum rebellem ad officium reduxit: Boëmos & Vandalos ad obedientiam flexit: Saracenos Italiâ expulit: Vngaros fidei Christianæ participes reddidit, fratris Brunonis iniurias moderatissimè tulit, summâq; vitæ innocentia & pietate **S A N C T I** sibi nomen peperit.

E

Testis



Testis **FRIDERICVS** Thuringiæ  
Landgravius ille, qui ob animi magnitu-  
dinem ac res præclarè gestas **FORTIS** ap-  
pellatus est.

Testis alter **FRIDERICVS**, istius fili-  
us, qui propter summam æquabilitatem  
atq; incredibilem in omni vitâ constanti-  
am ac seueritatem **GRAVIS** est vsurpatus.

Testis, cuius iste pater erat, **FRIDERI-  
CVS STRENVVS**, qui & fortitudinis  
suæ testem habet **ALBERTVM** Brunsvi-  
censem: & pacis ocijq; studio non subie-  
ctis modò sed finitimis prouincijs, ac pæ-  
nè toti Imperio Romano lucem attulit at-  
que incrementum.

Testis **FRIDERICVS BELLICO-  
SVS**, huic strenuò genitus filius, qui plu-  
ribus disiunctissimis terris rerum à se præ-  
clarè gestarum monimenta reliquit.

Testis **FRIDERICVS** moderatus siue  
placidus ex bellicoso filius natus, qui pie-  
tatis erga **DEVM**: victoriæ aduersus ho-

stes,



stes, in subiectos æquitatis memoriam illustrem ad posteritatem transmisit.

Testis ALBERTVS, testis MAVRICIVS, quorum vtrorumque, huius etiam per sæpè mentionem antè feci, quos fortissimos ne, an prudentissimos, an verò felicissimos appellem, iure addubito, tanta bella, tam immensa magnitudine, euentu dubia, hostium regionumque varietate dissimilia, numero præliorum pænè innumerabilia, præclare, sapienter, prosperèque non gesta solum ab his sunt, sed etiam confecta.

Dicam quod sentio, quoniam sentire talia quæ proferre non audeas, aut non ita dicere quemadmodum tacitus cogites, animi videtur non satis integri: credo equidem, omneis aliorum principum, omneis exterarum gentium potentissimorumque populorum, omneis clarissimorum regum res gestas, cum hisce nec pugnarum multitudine, nec contentionum celebritate, nec



varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.

Testis **GEORGIVS**, eius, quem modo dixi, **ALBERTI** filius prudentissimus; & huiusce frater **HEINRICVS** pientissimus, testes alij ex stirpe Saxonica progeniti principes innumerabiles, quorum omnium cum viuorum summa in Imperio Romano atq; orbe Christiano virtus, dignitas atque auctoritas fuisset, etiam mortuorum nomen celebritatemque fidelissima virtutis custos memoria tam constanter profecuta est, vt ne nunc quidem, tantis seculorum temporumque decursis spatijs consenuerit, atque ad Illustrissimam Celsitudinem tuam per **A V V M** potentissimū **PATREM**q; fortissimum sic delata sit, vt quicquid in illis singulis aut omnibus fuit sapientiae, iustitiae, fortitudinis, auctoritatis, felicitatis, moderationis ceterarumque virtutum, quae principe viro dignae existimen-

men-



mentur : eæ omnes ad Illustrissimam Cel-  
situdinem tuam vnà cum Electoratu pro-  
uincijsq; , quas illi obtinuerunt , quasi in  
portum quendam peruenerint.

Quod si hæc cuncta in Maioribus Cel-  
situdinis tuæ maiora etiam fuere , quàm à  
me expressa modo verbis sunt , aut exprimi  
potuerunt , da mihi quæso , Clementissime  
P R I N C E P S , hanc veniam , vt ad quem ea-  
rum prouinciarum , in quibus , & de qui-  
bus tam præclara ab eis edita facta sunt ,  
peruenit hæreditas , eum etiam magnani-  
mitatis , cæterarumq; virtutum gloriosissi-  
marum successorem esse existimem.

Neque enim hæc idcirco sic de Celsi-  
tudine tuâ dico , atq; in eam confero , quod  
talem verbis meis fingam , qualis non sit  
aut esse queat , neq; vt grata hæc mea Celsi-  
tudini tuæ sit oratio : sed quod si vñquam  
aliàs , hoc maximè tempore principe tali  
indigeant hæ prouinciæ atq; subiecti tui ,  
qualem si negemus , adeptos nos esse ; ad-





uersus DEVM immortalem impij; in Cel-  
situdinem tuam nefarij, in nosmet ipsos  
iniquissimi meritò reputemur.

Ipsi mehercle manes sanctissimi tot  
tantorumque celeberrimorum Saxonicae  
familiae principum gestire mihi videntur,  
quod sunt Celsitudinem tuam virtutum  
suarum ac gloriae successorem consecuti.

Prouinciae autem earumque habita-  
tores Celsitudinis tuae subiecti fidelissimi  
iam nunc ita mihi tacite de Celsitudine T.  
gloriarividentur: Principem adepti sumus  
iusticiae, sine qua salui esse nos resque nostrae  
non possunt, deditissimum atque obseruan-  
tissimum: Principem adepti sumus aduer-  
sus hostes vbi opus erit (atque vtinam opus  
non sit) fortissimum: Principem adepti su-  
mus pacis, quam expetimus omnes, stu-  
diosissimum; quicquid à maioribus eius  
partum est libertatis; quicquid instaura-  
tum pietatis ac religionis: quicquid ac-  
quisitum est opum, id omne sub hoc prin-  
cipe



cipe ocio ac tranquillitate perpetuâ possi-  
debimus, eoq̄ue suauius iucundeq̄ue per-  
fruemur.

Excelluimus quandoque virtute bel-  
landi: non rarò nostra in causis negocijs-  
q̄ue grauissimis commendata ante alios sa-  
pientia est: magna nobis nonnullis tem-  
poribus præ cæteris fuit argenti aliorumq̄;  
metallorum præstantiorum copia: merci-  
moniorum amplitudine antecellebamus  
exteris: summorum quoque regum prin-  
cipumq̄ue amicitijs ac societatibus sæpis-  
simè floruimus: ac superioribus annis re-  
stituendæ religionis pietatisq̄ue Christia-  
næ toti Imperio duces eramus atque au-  
ctores pænè soli.

Sub hoc autem electore Principe o-  
mnium nos rerum istarum laude gloriaq̄;  
amplissimos & florentissimos fore persua-  
sum habemus: vt iam non in terris exhi-  
bitum, sed de cœlo delapsum Principem  
Electorem omni pietate, virtute, laude,

cete-



ceterisq; bonis omnibus cumulatissimum esse nos consecutos arbitremur.

Quocircà te quidem Celsissime ac Clementissime Princeps pro eo ac debemus summâ humilitate veneramur & colimus: neque vllum insigne honoris: vllum virtutis præmium: vllum monimentum laudis: vllum gloriæ decus esse fieriq; aut excogitari posse existimamus, quod Celsitudini tuæ à nobis iure & meritò non debeat.

Hæc aut multò maiora prouinciæ Celsitudinis tuæ omnes, hæc ciues cunctiq; subiecti fidelissimi de Celsitudine tuâ taciti loquuntur, summâq; lætitiâ & congratulatione prædicant, hæc Celsissime ac Clementissime Princeps-Elector ipse cùm communis salutis atque Imperij, tum tuâ subditorumq; causâ sicuti facis, ac, ne in communi omnium lætitiâ meimet obliuiscar, horum studiorum nostrorum gratiâ Celsitudini T. velle & optare debes.

Deum



DEVM Opt. Max. summis precibus  
rogo atque oro, vt quam nobis patriâ a-  
uitâq; maiorumq; virtute clarissimam:  
propriâ indole generosissimam atque ma-  
gnanimam: intelligendi iudicandiq; fa-  
cultate sagacissimam: iustitiâ equissimam,  
& vt paucis multa, vel, si possum, omnia  
comprehendam, ad res maximas geren-  
das omnibus naturæ fortunæq; præsijs  
diuinitûs instructam Celsitudinem tuam  
Electorem Principemq; dedit:

Eam ad sacrosancti nominis sui glori-  
am, ad sacri Romani Imperij salutem, ad  
Illustrissimæ Celsitudinis tuæ vniuersæq;  
domus Saxonicæ decus sempiternum; ad  
subiectorum incrementum; externorum  
admirationem; hostium terrorem; im-  
proborum vindictam: perfugium deniq;  
ac solatium bonorum omnium, diu-  
tissimè florentem esse fieriq;  
patiatur.

F I N I S.

F





L I P S I Æ,  
*Sumtibus Henningi Grosii Bibliop.*



IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER.

Anno M. DCI.

MC









7  
10 3108 04

me





ULB Halle 3  
004 789 210



V077









h. 28, i. a



A  
ET

C

N

S A

Arc

co

D E


Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



V M  
R IN-

A-

V M,

ER II

& Du-

gia,

T I A

um

:

D.

i.

V c  
3108

No III

+

